16900
Lane Medical Library

SPECIMEN
INAUGURALE MEDICUM
DE
TUSSIS CONVULSIVAE
SEDE ET NATURA

QUOD

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

AUCTORITATE ET CONSENSU

PRO

SUMMIS IN UTRAQUE MEDICINA HONORIBUS

RITE OBTINENDIS

EXAMINI PUBLICO SUBJICIT

AUCTOR

MARTINUS GUILELMUS PLAGGE

FRISO-GERMANUS.

BEROLINI, MDCCCXV.

TYPIS JOANNIS FRIDERICI STARCKII.

§. 1.

Tussis convulsivae epidemiarum descriptionum singularumque historiarum tanta est copia, ut illam augere supervacaneum foret.

De istius morbi sede autem et natura amplius disserere, haud absonum videtur, cum veterum et recentiorum medicorum de hac re opinio valde differat, horumque sententia omnibus nunc fere probata, morbi indolem bene explicare non videatur. —

§. 2.

Morbi istius sedem alii ex. gr. *Butter*, *) *Waldschmidt*, **) *Stoll* ***) ejusque sectatores in ventriculum transtulerunt; alii autem, ex. gr. *Böhme*, ****) *Hufeland* †) et secundum *Illum* omnes

*) Abhandlung vom Keichhusten, p. 56

**) Prax. obs. XXIII. p. 59.

***) Ratio medendi, T. II. p. 160.

****) Kurmethode der wichtigsten Brustkrankheiten. Leipzig 1788, p. 26. (in pectoris nervorum interstitia cellulosa ponit sedem.)

†) Bemerkungen über d. natürl. u. inoculierten Blattern, verschiedene Kinderkrankheiten, u. s. w. 3te Auflage, Berlin 1798. p. 484.

fere recentiores in nervo vago et phrenico morbi sedem esse crediderunt.

§. 3.

Sedem autem tussis convulsivae minime in ventriculo esse, probatur:

a. Observatione, systematis gastrici affectus morbosos et secretiones in plurimis epidemiis et individuis minime existere, nec linguam muco dense tectam, nec nauseam, neque dyspepsiam cum morbo constanter esse conjunctas, sed systematis assimilationi inservientis affectus in plerisque epidemiis mere accidentales aestumandos esse.

b. Observatione mea, muci post plurimos tussis paroxysmos per vomituritionem evacuationes minime e ventriculo, sed e larynge fieri; mucus enim bullis aëreis semper spumosus erat, quod muci ex pulmonibus originem satis indicat; porro mucus plerumque sine omni cibo ejiciebatur, etsi aeger paulo antea cibum sumsisset; et cum cibus simul evomeretur, semper a muco discretum observavi.

c. Hypothesin de ventriculo tussis convulsivae sede non quadrare ad explicanda morbi symptomata essentialia, inspirationem nempe longam sibilantem etc.

Alia adhuc momenta ad refutandam istam

opinionem proferre possem; nisi omnes jam medici consenserint, hanc hypothesin a medicinae theoria olim omnibus probata productam, neque meris observationibus, nec veris ratiociniis fundatam, ideoque nunc plane rejiciendam esse.

§. 4.

Ad aliam longe probabiliorem et ingeniosiorem de nervo vago phrenicoque tussis convulsivae sede opinionem progrediamur.

Tussis paroxysmorum symptomata hac hypothesi optime explicari, concedere oportet; sed e contrario negari non potest, tussim non omnia nec *morbi* essentialia symptomata amplecti, nam tussis nonnisi musculorum respirationi inservientium *consensuali* actione morbosa efficitur, ubique per tussim secretum *largiter et constanter* ejici videmus, *ut in tussi convulsiva fit*, *) tussim mere symptomaticam censere maximo jure licet.

Sed hic ulterius progredi non licet, antequam rationes ab Illustrissimo, humaniss. *Hufelandio* **) ad opinionem suam de morbi natura nervosa consolidandam propositas, dilucidaverim et si unquam possem, refutaverim.

*) Conf. *Danz*, Versuch einer allgemeinen Geschichte des Keichhustens, Marburg, p. 30.
— *Jahn*, neues System der Kinderkrankheiten N. A. p. 250.
Hufeland, l. c. p. 418. (per sic dictum vomitum.)

**) L. c. p. 421.

§. 5.

Rationes, quas Illustriss. *Hufelandius* l. c. protulit, hae sunt:

a. Morbus minime mitigatur, sed augetur etsi continuo copiose muci fiant evacuationes.

Quod mirum mihi minime videtur, nam mucus morbi effectus est, nec morbus ipse ejus evacuatione mitigari potest.

b. Resolventia et evacuantia sola remedia nunquam morbum sanant.

Resolventia sic dicta remedia, quae irritabilitatem membranarum mucosarum augent, acria, hic inutilia esse, etiam nocere concedo, cum membranae mucosae in tussi convulsiva sensibilitas aucta sit, ideoque sic dicta resolventia narcotica sensibilitatem obtundentia, e. gr. belladonna, vera esse debeant remedia sanantia, quod etiam experientia docuit.

Evacuantia effectum morbi dirimunt, nec morbum ipsum; ideoque tunc tantum utilia sunt habenda, cum musculorum respirationi inservientium series imbecillitate laborat, qua secretum morbosum per eorum vires facile ejici non possit.

c. Cur morbus nonne saepius per magnam in organismo muci copiam oritur?

Non quaevis membranae mucosae secretio aucta morbum specificum, tussim convulsivam, provocare potest; sed tantum illa specifica ex miasmate orta laryngis membranae mucosae affectio,

d. Tussis convulsiva cum exanthematibus cutaneis alternare variolisque interrumpi potest. Quod autem aequo modo favet opinioni de membranae mucosae affectu, ac illi Illustr. *Hufelandii*, cum saepissime observemus, secretiones internas, externis auctis, imminui. Analoga etiam inter variolas morbillosque observata est ratio, quos morbos spasticos esse nemo contendit.

e. Paroxysmorum prodromi, sensus in larynge et regione epigastrica titillatorius *) in membrana mucosa sunt quaerendi, nec in nervo vago phrenicoque, ut vult Illustr. *Hufeland.*

f. Tussim convulsivam in convulsiones, paralyses aliosque nervorum affectus transire rara est observatio; nec immediatus morbi, sed reactionis consensualis systematis sensibilis et irritabilis nimiae, effectus sunt censendi, e contrario autem morbum multo saepius phthisis pituitoso-exulcerata sequitur.

§. 6.

Rationes illas proferre nunc licebit, quibus persuasum mihi habeam, hypothesin de tussis convulsivae natura mere nervosa minime probabilem aliamque de hujus morbi sede et natura esse statuendam.

Quoad *aetiologiam:*

*) *Danz*, l. cit. 27.

a. Hypothesis de natura morbi nervosa non explicat genium tussis convulsivae epidemicum. Praeter illum enim vel maxime problematicum morbum cerealem, anno 1772 in Germaniae parte septentrionali grassatum, nullus alius morbus vere nervosus epidemicus mihi innotuit; nam febris intermittentis et typhi natura mere nervosa, ex Cullenii praesertim hypothesi omnibus fere probata, valde dubia est.

b. Nec naturam morbi contagiosam dilucidat. Epilepsiam, hysteriam etc. interdum per paroxysmi adspectum ad sanum individuum conferri posse constat, sed de horum morborum natura contagiosa nullum exstat exemplum.

c. Tussis convulsivae analogia cum febribus exanthematicis, qua semel tantum unumquodque individuum afficit, *) opinioni de natura nervosa contraria est.

§. 7.

Quoad *symptomatologiam*, non illa explicatur hypothesi:

a. Stadium incrementi, s. catarrhale, quod tamen ad tussis convulsivae essentiam necessario et constanter pertinet.

Catarrhum autem ordinarium et accidentale hoc stadium ducere, aequo modo rejiciendum es-

*) Conf. inter alios *Hufelandium*, l. c., p. 411.

set, quam stadium catarrhale morbillorum etc accidentale dicere.

b. Febris in stadio morbi incrementi constanter observata. *)

In nullo etenim morbo mere nervoso observamus febrim, nam ad naturam febris intermittentis et typhi nervosam valde dubiam hic provocare non licet.

c. Secreti mucosi origo, quod non parca copia in morbi culmine tussi vomituriente ejicitur.

Muci enim originis ex verbo vago *irritamenti* explicatio nihili est; nec morborum vere nervosorum paroxysmi unquam secreti morbosi absolvuntur evacuatione.

d. Decursus morbi universalis typicus.

Epilepsia autem, hysteria, mania etc. prorsus nullo tenentur decursu universali definito, tussis convulsiva e contrario semper decursum suum absolvit intra 4 usqur ad 12 hebdomades. Omnes etiam morbi, qui typum fixum servant, systematis vegetativi sunt affectus: ex. gr. inflammationes, febres etc.

e. Tussim tam saepe sequi phthisin pulmonalem observatio.

§. 8.

Quoad *curationis* remedia praecipua secundum illam theoriam explicanda:

*) Conf. inter alios *Hufelandium* l. c., p. 417.

a. Non percipio, quo modo effectus in tussim convulsivam laudatorum, *) nec certe contemnendorum acrium, qua nervina explicari possit.

b. Emeticorum utilitas non abneganda, cum adoptata natura morbi nervosa minime quadrat; optime autem cum opinione tussim convulsivam esse membranae mucosae morbum tussisque paroxysmos morbi tantum esse symptomata consensualia, per muci colluviem effecta.

Praeter emeticorum autem vim evacuantem in hoc morbo etiam eorum morbosam muci secretionem cohibendi vires, (quas in morbis gastricis quotidie observamus) non praetervidendas esse contendo.

c. Sanguinis evacuationum utilitas a pluribus medicis praesertim *Sydenhamio*, *Huxhamio*, *Hufelandio* etc. observata, cum morbi natura idiopathice et vere nervosa minime consentit.

d. Narcotica remedia parca dosi data primoque effectus gradu in membranarum mucosarum sensibilitatem reproductivam agunt et majori tantum dosi et ulterius systema ipsum sensibile afficiunt; primus ex. gr. Belladonnae effectus est siccitas, h. e. muci secretio imminuta faucium et laryngis, denique tantum sy-

*) Conf. instar omnium *Hufelandium*, l. c. p. 426. et seq.

stema sensibile oculorum cerebrique afficit. Aequo modo Opium in membranarum systema praesertim cutaneum et mucosum, (sudorem efficit, diarrhoeas sistit) agit, antequam systema sensibile ipsum afficiat. Ideoque in tussi convulsiva utile probatur opium, praesertim ad noctem datum, qua nervosi systematis receptivitas est imminuta, eoque opii actio magis ad systema fertur vegetationi inserviens.

§. 9.

Ad opinionem meam de tussis convulsivae sede et natura nunc denique venio exponendam. Sicuti vitam vere explicare nequimus, nec docente historia verisimillime unquam poterimus, sic quoque veram naturae tussis convulsivae explicationem hic proferre nec ipse possum, nec mortalium alius unquam poterit. Nihilominus tamen indefessim morbos observare symptomata essentialia a consecutivis distinguere et definitionem morbi symptomatum elaborare debemus.

Talem *tussis convulsivae definitionem* hic propono: *Tussim* convulsivam, (specificum) *miasmaticum membranae mucosae laryngis morbum*, quo membranae sensibilitas mucique secretio aucta videntur, definiendam esse censeo.

Quid de verbo *miasmate* sentiam, ad delucidandam hanc meam definitionem, exponere liceat.

Miasmaticos (sit venia verbi) nempe morbos illos nominandos esse credo, qui e *singulari* aeris athmosphaerici mutatione, vel sponte, vel hominum morbis ipsis orta, gignuntur. Quam vero definitonem omnes morbos epedemicos amplecti, facile est intellectu; et revera nulla est vera et essentialis differentia inter morbum mere epidemicum et s. d. contagiosum, sed gradu tantum differre verisimillimum est. Sic catarrhus epidemicus, Influenza dictus, sic dysenteria epidemica in epidemiae culmine aerem inquinant *) mutatione illa morbifica, quam miasma nominamus. Morbi autem febriles annuales et endemici in definitione mea verbo *singularis* mutationis excluduntur.

§. 10.

Opinionem meam de differentia, quae intersit morbos epidemicos et s. d. contagiosos uberius hic proferre ut liceat oro.

Mea autem est opinio, morbos miasmaticos (s. d. contagiosos) aeque ac epidemicos in origine sua *primaria* ex aëris spontanea mutatione ortos esse; contagiosos sic dictos antea mere epidemicos fuisse; epidemicos in decursu suo universali aëris istam mutationem, qua orti essent, sensim sensimque ipsos producere (et tunc contagiosos nominari); miasmaticorum morborum decursus

*) Unde nomen miasma a μιαίνω, inquino.

singulares, (sic dictas epidemias) semper ex aëris mutatione spontanea originem ducere; miasmaticos autem morbos in decursus universalis fine tantum ex aëre per morbum ipsum deprarato produci ex. gr. nostris temporibus variolas, pestim.

Vera epidemicos morbos (h. e. qui in epidemiarum culmine miasma nondum evolverunt) paucos tantum superesse, fere credo; nam Ifluenza, febris intermittens epidemica, saltem novissimis temporibus miasma (contagium) evolverunt. Ophthalmia autem neonatorum, angina membranacea et hydrocephalus acutus nunc vere epidemici morbi sunt censendi. Morbos omnes nunc maxime contagiosos, variolas ipsas antea mere epidemicas fuisse, aestumo; qua tantum hypothesi Veterum horum morborum ignorantia et subitanea eorum notitia vere est explicanda, dum enim morbus epidemicus naturam induat contagiosam, medicorum majorem incitat attentionem et nunc morbus novus pronuntiatur. Observatio ista saltem opinioni meae favere videtur, quod quo antiquior morbi notita, eo magis contagiosus sit et quo recentior, eo magis ad morborum epidemicorum naturam accedat, sic e. gr. variolae et morbilli maxime nunc contagiosi saeculo VII, tussis convulsiva saeculo XV. scarlatina XVII saeculo est orta:

Inter *miasmaticos* igitur morbos pestis, variolae, varicellae, rubeolae *Williami* (morbilli Alio-

rum), typhus, scarlatina, roseolae *Will.* (rubeolae Alior.), tussis convulsiva, dysenteria (enteritis exsudatoria?) influenza, febris intermittens epidemica, peritonitis et pleuritis exsudatoria (puerperarum), conjunctivitis exsudatoria (neonatorum), laryngitis exsudatoria et encephalitis exsudatoria (hydrocephalus acutus) secundum opinionem meam sunt censenda.

Contagiosi illi morbi tantum nominari merentur, qui per *contactum* immediatum individui morbo affecti in sanis gignuntur, syphilis, scabies.

An etiam morbi contagiosi in origine epidemici tantum, aut miasmatici fuerint, nec ne, difficile erit dijudicatu; luis venereae origo subitanea et fere spontanea et scabies epidemice observata opinioni de morborum contagiosorum ex aëris mutatione spontanea origine primaria, haud contraria esse videntur.

§. 11.

De larynge tussis convulsivae sede opinionem nunc habeo probandam. Antea moneo, me haud quaquam morbi sedem stricte in larynge definire, sed morbi tantum focum esse laryngem contendere.

Morbum esse membranae mucosae affectum, satis jam probatum censeo; tubi autem alimentaris membranam mucosam morbi sedem essentialem minime esse qui contenderit, nullum inter medicos esse, mihi persuasum est. (conf. §. 3.)

In systematis pulmonalis membrana igitur mucosa sedes esse oportet; sed quare tam specificam ab aliis pulmonum blennorrhoeis plane fere diversam tussis convulsiva induat formam et indolem quaeritur.

Quam quaestionem *partim* morbi natura miasmatica (qua systematis musculosi major consensualis affectio forte (aeque ac structura laryngis sinuosa) explicari possit, nam in aliis morbis miasmaticis praecipue in typho miasmatico saepissime citoque systema irritabile et sensibile in consensum vocantur et detinentur); *partim* morbi sede specifica, quam in larynge pono, explicari posse, mihi est opinio.

Morbi focum in larynge nec in bronchiis esse, persuasum mihi habeo, praesertim symptomatibus morbi essentialibus:

a. Inspirationem longam, clangosam, asinini clamoris aemulam, repetitam, per laryngis affectum produci constat;

b. Exspirationesque sequentes breves aequo modo laryngis musculis magis, quam thoracis perfici maxime probabile mihi videtur;

c. Muci post quemque tussis completum paroxysmum constanter sequens per *vomituritionem* ejectio, illam e laryngis ventriculis, adjuvantibus pharyngis musculis fieri adjacentibus, satis indicat;

d. Vomitus ipse saepe simultaneus facilius opi-

nione mea est explicatu, cum laryngis, pharyngis ventriculique musculi ab uno eodemque nervo cerebrali, vago, nervulis instruantur, ideoque major inter illos sit consensus, quam inter thoracis musculos (quorum ope mucus e bronchiis extruditur) et ventriculi.

e. Porro muci ejecti forma plane opinioni meae favet; e pulmonum bronchiis nempe ejectus mucus semper plus minus formam induit globosam minorem pluribusque vicibus ejicitur; in tussi autem convulsiva sub paroxysmorum fine massa multo major eohaerens una vice cum vomituritione, h. e. laryngis et pharyngis constrictione e laryngis ventriculis ejicitur Morgagnianis.

f. Quantam qualitas muci specifica, quae longe a brochialis secreti natura aberrare videtur, *) theoriae meae tesseram adjiciet, dijudicare non audeo; ista mea saltem observatio memoratu digna videtur, mucum in laryngitis exsudatoriae stadio primo vomituritione ejectum, **) eandem fere ac mucus in tussis con-

*) In tussi enim convulsiva ejectus mucus lactei coloris, albuminis semi-coagulati aemulans in decursu morbi non mutatur indole, sed in morbi fine crassiusculus tantum fit, nec unquam sputorum coctorum muci bronchialis induit formam — Conf. *Danz*, l. c. p. 30.

**) Quam vomituritionem in laryngitis exsudatoriae crisi constanter ab *Autenriethio* (Vers. für d. prakt. Heilk. I. p. 42) et a doctore *Albers* (*Horns* Archiv, Mai — Dec. 1814, p. 530.) observatam legi.

convulsivae paroxysmorum fine vomituritione ejectus prae se ferre formam et indolem. *)

§. 12.

Alia minoris generis momenta addere liceat, quae opinionem meam adhuc probabiliorem reddere videntur:

a. Analogiam, quae interest aetati, qua laryngitis tussisque convulsiva organismum puerilem afficere solent.

Miasmata iis subdita organa ante eorum metamorphosin perfectam tantum praecipue afficere posse mihi videntur. Cum autem laryngis metamorphosis jam pubertate perficitur et ad huc usque tantum plerumque aetatis spatium tussis convulsiva organismum afficere soleat, concludi licere videtur, tussis convulsivae sedem in larynge, nec in pulmonibus esse, quorum metamorphosis in virili aetate denique perficitur.

b. Tussis convulsivae transitus in laryngitem exsudatoriam Astrukii **) aeque ac meam observationem.

*) Conf. *Autenrieth* l. c.

**) On the diseases of *Children*. p. 141.

§. 13.

Dum de tussis convulsivae sede et natura locutus sim, observationem de tussis convulsivae in fine epidemiae ab ineunte autumno usque ad aestatem an. 1813 — 1814 in Germanorum Frisia grassatae metamorphosi allegare haud absonum mihi videtur. Vere an. 1814. ineunte epidemiae decrementum incepit, menseque Junio Julioque plane qua tussis convulsiva perfecte evoluta interiit; nihilo minus tamen tussis infantes insaucios corripuit, quae quidem facie. t. conv. perfecte expressa non esset praedita, attamen symptomatibus essentialibus minime caruerit. Ab assiduo aliorum observationum collectore *Danzio* jure symptomata essentialia dicuntur: inspiratio longa, clangosa, asinini clamoris aemulans et typus plerumque morbo conjunctus periodicus et haec etiam etsi mitiori gradu in hujus tussis paroxysmis observare mihi licuit; tussis enim erat clangosa, (etsi non inspiratione tam longa et tam sibilante esset praedita), et cum majori musculorum respirationi inservientium intentione conjuncta, mucique ejectio plerumque vomituriens fiebat, nunquam autem cum vero vomitu erat conjuncta; paroxysmi erant typici et morbus per plures hebdomades trahebatur, nec remediis sic dictis pectoralibus (ut tusses catarrhales) sed usu tantum Belladonnae a me datae mitigabatur. Ad haec accedit observatio: in una domo 2 fratres

hac tussi laborasse, quorum tussis alterius in laryngitem exsudatoriam transiit, quae si naturam tussis contagiosam vere non probet, attamen suspectam reddat.

Haecce observatio, interest morborum miasmaticorum decursum epidemiae et casus individualis eximium praebet exemplum analogiae quae medicumque practicum de harum tussium tenacitate et vehementia tranquillum reddit eique rectam curationis viam indicat.

THESES

QUAS

GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS

AUCTORITATE ET CONSENSU

PRO

SUMMIS IN UTRAQUE MEDICINA HONORIBUS

RITE IMPETRANDIS

PUBLICE DEFENDET

AUCTOR

MARTINUS GUILELMUS PLAGGE

FRISO-GERMANUS

DIE XVII. APRILIS A MDCCCXV.

H. L. Q. S.

BEROLINI

TYPIS JOANNIS FRIDERICI STARCKII.

THESES.

I. Omnes in vitae ejusque modificationum explicatione adhibitae analogiae cum mechanismo, chemismo et galvanismo vagae et inutiles sunt censendae.

II. Respirationis causa mechanico, ejusque effectus chemico modo minime sunt explicandi, sed ad vitae ipsius fontem inexplicabilem et effectum revocandi.

III. Caloris vitalis origo neque theoria chemicis legibus superstructa, neque illa Brodieana, cerebro solo caloris animalis fonte explicatur; sed calorem vitalem per omnes organismi actiones inexplicabili modo produci contendo.

IV. Methodus teleologica e physiologia est ejicienda.

V. Nosologiae systema morborum causis nec symptomatibus superstructum esse debet.

VI. Animalia a vegetabilibus sensibilitate irritabilitatem provocante distingui possunt.

VII. Adsunt morbi (idiopathici) fluidorum et semi fluidorum corporis humani.

VIII. Inflammatio est morbus materiae glutinosae Wolfii; pus nonnisi materia ista nutritioni inserviens glutinosa alieno modo secreta est.

IX. Non omnia s. d. monstra, quae celeberrimus Meckelius per metamorphosin non evolutam normalem explicat, hoc modo vere explicanda sunt.

X. Emeticorum vires non solum in irritabilitatem tendunt, sed etiam in membranarum systema magna agunt efficacia, secretiones morbosas supprimunt, naturales provocant, sensibilitatem membranarum obtundunt et s. p.

XI. Vesicans summum in dysenteriae curatione remedium.

XII. Cataractam per corneam destruendi methodus aliis est praeferenda quoad peragendi facilitatem et securitatem; ideoque majorem permittit divulgationem.

XIII. Partus omnes, etsi organismi viribus ipsis possint absolvi, minime semper a medico naturae sunt relinquendi; nam morborum et partuum abbreviatio et levamen medico curae cordique esse debent.
